



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Legia Catholica**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1633**

II. Communio cum Romano Pontifice, alijsq[ue] Catholicis Episcopis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64596)



CATHOLICA. IOI  
stolum, cum hanc tuam Con-  
stantiam, Prophetiæ oculo pro-  
uideret; ideo Maternum, qua-  
dragenos iam dies sepulcro cõ-  
ditum, vitæ reddidisse; cum ita  
iudicaret, Naturæ quoque ip-  
sius leges potius mutandas, quã  
æternum Dei Decretum de fu-  
turâ Cõstantiæ tuæ Æternitate.

II. *Communio cum Roma-  
no Pontifice, alijsq; Ca-  
tholicis Episcopis.*

Abſque Capite Corpus ſub-  
ſiſtere nequit: quod nõ ma-  
gis in animantibus obtinet, quã  
in Congregationibus cuiusque  
generis. Caput Eccleſiæ Ca-  
tholicæ, Summum Rom. Pon-  
tificem, Catholici omni æuo  
agnouerunt. Agnouit in primis  
à Deo edocta Eccleſia Leo-  
diensis:



diensis : cuius primus Episcopus S. Maternus à S. Petro, Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ Episcopo, missus est. Reliqui deinceps Antistites, plerique à Romano Pontifice, Leodiensibus dati : omnes autem ab eodem, de more, approbati, & confirmati. Certè de nullo contrarium ostendi potest. Reperantur, quæ in eorum serie suprâ scripsimus. Quinetiam, si quando schisma Ecclesiam Rom. vexavit, Leodiensis Ecclesia legitimo Pontifici adhæsit, intruso Antipapa reiecto. Vide in serie Episcopoportam, in Ioanne de Arkel. 77.

Ad alios Episcopos, quod attinget, eorum tantum communioni Leodienses Episcopi semper inhæserunt, qui cum Sede Apostolicâ ipsi communicabât.

Quod



Quod adeo verum est, vt S. Seruatus, ipsum suum Metropolitanum Euphraten, Archiepiscopum Coloniensem. quòd Arianâ hæresi infectus esset, nõ modo non agnouerit, sed non cessauerit contra illum niti, donec, coacto Concilio Catholicorum Antistitum, eum de Sede deturbârit.

Et, quoniam de Concilijs mentio incidit, non est hoc loco prætereundũ, Concilijs Catholicis solitos interesse Leodienses Episcopos, inque ijs Catholicam sententiam dicere. Suprà notauimus Farabertum 42. Engelheimensi Synodo, iussu Agapiti Papæ congregatæ, cum multis alijs Catholicis Episcopis, interfuisse. Longè antè illum, Domitianus Concilijs Aurelianensi, & Auernensi



si affuit. Eodem spectat, quod Concilium Tridentinum tempore Ernesti Bauari 89. Leodij promulgatum, & reuerenter admissum fuit.

### 3. *Conuersio Gentium.*

QUod Christus Dominus Apostolis iniunxerat, vt *predicarent Euangelium omni Creaturae*: Quod Ecclesia Catholica, & Pontifices Romani semper factitarunt, hodieque faciunt: fecit quoque pro suo modulo Ecclesia Leodiensis, eiusque Episcopi, tanquam Ecclesie Romanæ genuini filij.

Martinus Septimus Episcopus vicinis Hasbanis Christi fidem intulit, eorum merito dictus Apostolus. S. Perpetuus vicesimus tertius, plures Barbaros eandem fidem docuit.

Vice-